

nendo suaviter, & efficaciter ad ea vi-
tanda, ita ut prius rationibus, & exem-
plis opportunis intellectum audientium
convincat, ut subinde lucratur eorum
voluntatem. Vox concionatoris semper sit
gravis, & naturalis sine clamoribus, aut
vociferationibus; non semper in eodem
teore, sed quandoque mitior, quando-
que acutior, sive altior, accomodata,
prout exigunt oratio, & res, quæ di-
cuntur. Caveat orator, ne sit nimis ve-
lox, aut nimis tardus in dicendo, quia
primum confussionem; secundum tedium
affert. Curet etiam, ne sit nimis longus
in concione, quia concio nimis longa fas-
tidium generat.

116. Quia propter etiam missionarios
monere velim, ne sint nimis onerosi fi-
delibus: vel demorando in eodem oppi-
do, plusquam oportet, & prudentia dic-
tat, vel prolongando conciones ipsas pro-
lixius, quam congruit; quia primum præ-
fert gravamen populis, & secundum nau-
seam, & molestiam audientibus. Curent
igitur omnia suaviter disponere, ita ut
libenter admittantur, jucunde audiantur,
ac tandem comiter, & reverenter, ut

TRACTATUS QUADRAGESIMUS

DE PROPOSITIONIBUS DAMNATIS.

Quamvis propositiones in materia
morum damnatae in toto hoc opere
reserantur sparsæ; pro aptiori tamèn
earum noticia simul cum brevi explica-
tione traduntur in eodem tractatu; cui
etiam aliæ propositiones spectantes ad
dogmata adiunguntur.

S. I.

Propositiones quadraginta quinque ab
Alexandro VII. ut nimirum tamquam
scandalosæ omnes, & singulæ damnatae
die 24. Septembris 1665. & 18. Mar-
tii: 1666.

I.

Homo nullo unquam vitæ suæ tempore

eorum Apostolico muneri congruit, di-
mittantur.

117. Actio concionatoris est comes,
& complementum locutionis, ideo de-
bet esse conformis rebus, quæ dicuntur,
ita ut deserviat pro majori explicatione,
& intimatione vocis. Quapropter non
semper eadem, licet semper modesta,
& gravis esse convenit. Sit etiam natu-
ralis sine affectatione; affectatio enim,
tam in voce, quam in actione omnino
vitanda est. Vitandi pariter sunt quidam
gestus, & motus histrionici pedibus, cap-
ite, & manibus: solum motu dexteræ
manus, rarius sinistrae utatur conciona-
tor ad suas affectiones melius indicandas:
numquam pulpitem manu percutiat, nec
pede supplantat, aut brachia nimis pro-
tendat, omniaque alia indecora fugiens,
studeat, ut vox, actio, motus, & ges-
tus modestiæ, gravitati, maiestati, &
sanctitati loci, & ministerii conveniant.
Hæc levi calamo pro hæc materia atti-
gisse sufficit: cætera enim pro conciona-
tore instruendo ad theologiam expositi-
vam, & rethoricam attinent.

teneretur elicere actum fidei, spei, & cari-
tatis ex vi præceptorum divinorum, ad
eas virtutes pertinentium.

1. Hujus propositionis falsitas patet,
tum ex sacra pagina, ubi nihil frequen-
tius commendatur, quam actus fidei, spei,
& caritatis; neque ad aliud principalius
ordinatur scriptura sacra, nisi ad nos
instruendum circa has virtutes theologa-
les, quibus potissimum Deus colitur. Tum
ex necessitate harum virtutum ad salu-
tem consequendam, quæ non consequi-
tur in adultis sine earum exercitio, &
actibus. Nam habitibus nec meretur, nec
demeretur. Igitur ut pote falsa, & scan-
dalosa, proscripita est dicta propositio.

2. Eidem affines sunt aliæ dicentes,
satis esse semel in vita actum fidei eli-
ce-

cere, nec singulis quinquennis obligare
per se præceptum caritatis, quæ, & si-
milia vix capi valet, quomodo potuerint
ab homine catholico, alias instructo, cog-
itari, & quod plus est, doceri.

3. Qui deliberate recitat symbolum
fidei, vulgo oratio: *pater noster*, & alias
orationes Ecclesiæ, audit sacrum, & reci-
pit devote sacramenta, elicit utique ac-
tus fidei, spei, & caritatis. Et hinc for-
te Authores dictarum propositionum mo-
ti sunt ad eas scribendas, putantes sic
sufficienter satisfieri dictis præceptis, nec
majorem dari obligationem. Sed est ma-
la explicatio, & pejor doctrina. Debet
enim doceri *pluries* in vita nos teneri ac-
tus fidei, spei, & caritatis elicere ex vi
præceptorum divinorum ad eas virtutes
pertinentium. Quid facilius, quam cre-
dere in Deum? Quid suavius, quam in
Deum sperare? Quid dulcius, quam
Deum diligere? Non labor, sed favor
est, quod nobis in his præceptis jubetur,
nisi fingamus laborem in præcepto.

II.

*Vir Equestris ad duellum provocatus
potest illud acceptare, ne timiditatis no-
tam apud alios incurrat.*

4. Plurima effugia hujus damnationis
occlusit Benedict. XIV. proscribens alias
quinque propositiones, quibus reprobatur
crimen ferale duelli, ita ut solum ad be-
llum dirimendum autoritate Principis li-
ceat, sicut David pugnavit cum Goliath.
De cætero ex nulla causa famæ, hono-
ris, fortunæ, aut alterius cujuscumque
est licitum illud offerre, aut admittere.

III.

*Sententia, asserens Bullam cæne solum
prohibere absolutionem hæresis, & alio-
rum criminum, quando publica sunt, &
id non derogare facultati Tridentini, in
quo de occultis criminibus sermo est ann.
1629. 18. Jussit in consistorio sacrae con-
gregationis eminentiss. Card. visa, & to-
lerata est.*

5. In diversis diversa legi in expla-
natione hujus propositionis, atamen præ-
senti disciplina atenta, finita est contro-
versia, quidque agendum sit in hæc ma-

teria, dictum est jam in suis locis.

IV. *Prælati regulares possunt in foro cons-
cientiæ absolvere quorcumque seculares ab
hæresi occulta, & ab excommunicatione,
propter eam incursum.*

6. In hac propositione solum dam-
natur, quod ipsa exprimit circa sæcu-
larium absolutionem. Verum non solum
sæculares, sed nec alios regulares, nec
sibi subditos valent Prælati regulares ab-
solvere ab hæresi, etiam occulta, quia
est reservata Pontifici, & tribunali In-
quisitionis, ubi adest: nec Bulla cruciatæ
ad id quidquam valet, hæc omnia patent
ex dictis tract. 27.

V.

*Quamvis evidenter tibi constet Petrum
esse hæreticum, non teneris denunciare,
si probare non possis.*

7. Hæc propositio non distinguit ac-
cusationem a denuntiatione; illa, non ista
probationem exigit, unde etiam alia
delicta certa respectivis Superioribus de-
nuntiari sæpe debent, licet probari non
possint. Quod maxime urget in crimine
hæresis, & aliis, quæ hæresim sapiunt,
& vergunt in damnationem commune.

VI.

*Confessarius, qui in sacramentali con-
fessione tribuit penitentem chartam pos-
tea legendam, in qua ad venerem incitat,
non censetur, sollicitasse in confessione, ac
proinde non est denunciandus.*

8. Utrumque est falsum, censetur quip-
pe sollicitasse in confessione, quia in con-
fessione tribuens chartam, postea legen-
dam, incipit sollicitationem, ideoque me-
rito est denunciandus. Idem est, si illam
tribuat immediate ante, vel post con-
fessionem, vel prætextu, aut occasione,
vel extra occasionem confessionis in con-
fessionario, aut alio loco ad confessionem
electo simulando ibidem confessionem.

VII.

*Modus evadendi denunciandæ sollicita-
tio-*

tionis est, si sollicitas confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere absque onere denunciandi.

9. Confessarius sollicitans nequit absolvere complicem venereum, nisi in articulo mortis in defectu alterius Sacerdotis, qui minus Confessarii obire possit. Si autem persona sollicitata non consentit sollicitationi, sed restitit saltem externe, & bona fide alias recte disposita redit ad eundem Confessarium, & nequeat non absolvi absque nota, aut infamia, potest quidem absolvi, sed non evadit obligationem eum denunciandi. Nam licet Confessarius non teneatur illam monere de obligatione, hæc tamen semper durat, donec denunciatio realiter fiat.

VIII.

Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem, etiam specialissimum fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urban. VIII.

10. Sacerdos ignorat, an sit odio, vel amore dignus, & consequenter ignorat, an sibi correspondeat aliquis fructus specialissimus. Uade nequit certum stipendium accipere pro fructu incerto. Ex alia parte, dans stipendium pro Missa, juste vult totum ejus fructum sibi applicari, ergo injuste applicatur alteri pro alio stipendio. Decretum etiam Urban. VIII. prohibet accipere duplex stipendium pro eadem Missa, ergo merito damnatur assertio opposita.

11. Potest tamen accipi duplex, aut triplex majus stipendium, sponte oblatum pro eadem Missa ratione majoris devotionis, amicitia, aut consanguinitatis, quia non accipitur pro fructu speciali, nec ulli fit injuria. Valet etiam accipi majus stipendium pro Missa dicenda valde mane, vel hora duodecima, aut in Ecclesia satis distante, tunc enim jure accipitur pro labore extrinseco inconnexo, vel superaddito actioni celebrandi.

IX.

Post decretum Urban. VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebranda traduntur,

per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

12. Sacerdos accipiens pro Missa majus stipendium consueto, debet, si eam alteri commendet, totum eidem stipendium tradere, & oppositum damnatur in hac propositione. Quod subinde confirmavit Ben. XIV. in Bulla *Quanta cura*, ubi negotiatores, seu pravos nudinatores pœnis, aut suspensione respectively puniendos decernit. Quod intelligitur promercimonio in stipendiis Missarum manualium adhibito, ut explicat in Syn. lib. 5. cap. 9. n. 5.

X.

Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittat promissione, etiam juramento firmata, dari stipendium, quod pro nullo alio offerat.

13. Tria paradoxa damnantur in hac propositione. Primum, non esse contra Justitiam offerre unum tantum sacrificium pro pluribus stipendiis acceptis. Secundum, non esse contra fidelitatem promittere, quod ea applicabit, & ea non applicare. Tertium, quod nec erit contra fidelitatem, esto juret promissum, & non adimpleat. Quæ omnia sunt adeo aperte falsa, ut sensui communi repugnant, meritoque sint proscripita.

14. Tot Missas debet ex justitia Sacerdos celebrare, quot recipit stipendia. Si autem hæc sint exigua, vel ea non recipiat, vel Missas, eis respondentes, celebret. Sacerdos promittens alteri Missam, tenetur ex fidelitate eam ei applicare, etiam non recepto stipendio. Aliqui ajunt solum teneri sub levi; ego vero censeo obligari sub gravi ad celebrandam Missam, alteri promissam, sive accepto stipendio, sive absque illo, ratione gravis damni provenientis ex privatione fructus sacrificii: si addatur juramentum promissioni, decidendum est juxta dicta de duplici veritate reperta in juramento promissorio. Defectus primæ veritatis semper est gravis, defectus secundæ

dæ aliquando potest esse levis, sed in præsentibus gravis est.

XI.

Peccata in confessione omissa, seu obliata ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur sequenti confessione exprimere.

15. Omnia peccata gravia tenemur confiteri, ergo omnia ex quacumque causa in priori confessione, debent exprimi in sequenti, seclusa causa tacendi. Nam debitor, qui ex aliqua causa non solvit, sublata causa, solvere debet.

XII.

Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

16. Olim regulares gaudebant privilegio, præsertim ab Eugenio IV. concessio, absolvi etiam a casibus Episcopis reservatis, sed hanc facultatem revocavit Urban. VIII. declarans id minime posse regulares, adhuc privilegiorum prætextu, a casibus, quos Episcopi ipsi reservant. Qua ratione merito damnatur oppositum asserere. Quod juste concedit unus Pontifex, justa revocat alius, quia quidam Ordinarii reclamant, uti fecit Clemens XII. revocando quædam privilegia Prælati regularibus, concessa a suo prædecessore Bened. XIII. absolventi suos subditos ab omnibus casibus, & censuris Pontifici reservatis, exceptis lapsu in hæresim, schismate, falsificatione litterarum apostolicarum, conspiratione contra Papam, & delatione prohibitorum ad partes infidelium. Vide Cuiliati tom. 2. pag. 198.

17. Virtute Bullæ cruciatæ valent omnes Confessarii sæculares, & regulares absolvere a casibus synodaliibus, & censuris episcopalibus, satisfacta parte, si quæ læsa extiterit, quin ex concessione hujusmodi vere ampli privilegii censeantur vulnerata Episcopalia jura. Idem diximus tract. 28. n. 50. de Papalibus occultis, quia sublata reservatione Papali per Trid. in cap. *Liceat Episcop.* fiunt Episcopales, quibus jure ordinario competit eorum absolutio, uti asserunt mul-

ti apud Barbosam. p. 2. Allegat. 39. n. 14. de Potest. Episcop. Possuntque facultatem absolviendi aliis delegare, utpote Ordinarii, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; ut dicitur Actor. 20.

Et hæc est praxis Episcop. Quæ omnia solum intelligenda sunt in Provinciis, in quibus receptum est Trid. ut notatur ab Authoribus. Teneamus ergo Bullam concedere facultatem absolviendi toties, quoties cassus, quos Episcopi valent, post restitutionem eis factam a Trid. in dicto cap. Bulla enim solum excludit ab hoc amplissimo privilegio casus, quorum absolutio pertinet private ad Papam.

XIII.

Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

18. Hæc propositio loquitur de sæcularibus, qui confitentur regulari absque approbatione Diocesani. Unde jure damnatur, quia talis confessio est nulla. Nam ex Concilio Trid. requiritur in omni Confessario pro sæcularibus approbatio Episcopi loci, ubi confessiones excipiuntur, quapropter sive juste, sive injuste denegetur approbatio, nulla est confessio absque ea excepta.

XIV.

Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

19. Faciens confessionem voluntarie nullam, etiam ex defectu intere interno, grave sacrilegium committit, unde non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Nam licet hæc non præcipiat directe actus mere internos, præcipit tamen eos indirecte, & prout constituunt compositum humanum morale, & sacrum, sicut audire Missam, & recitare devote horas canonicas.

XV.

Pœnitens propria autoritate substituit alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

20. Adimpletio pœnitentiæ est actio personalis cum subordinatione ad Judicem, ergo absque subordinatione, vel autoritate ejus nequit pœnitens illam adim-

adimplere per alium. Poterit tamen de ejus autoritate poenitentiam non medicinalem per alium adimplere. Imo non damnatur asserere, posse poenitentiam realem per alium adimplere, dando v.g. eleemosynam, ut hic eam suo nomine elargiatur.

XVI.

Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

21. Juxta decretum Concilii Trident. Sess. 23. cap. 15. de reform. nullus secularis potest confiteri cum Sacerdote simplici, ergo falsa est propositio asserens Parochos indiscriminatim id facere posse, cum Parochi in plurimum seculares sint. Debent igitur Parochi, tam sibi, quam suis ovibus eligere in Confessarium Sacerdotem approbatum ab Episcopo Diocesano sub poena nullitatis confessionum.

XVII.

Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem, varia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni publice, & coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

22. Abhorrent aures audire theologiam adeo truculentam, & sanguinariam, nec in ea refutanda aequum est tempus terere. Nulli seculari laico, nedum religioso, aut clerico licet occidere calumniatorem, nam verba ad summum verbis repelli debent; alias excedit moderamen inculpatæ tutelæ. Potest quilibet recurrere ad respectivum Judicem, ut coerceat calumniatorem, illum tamen occidere ferale flagitium est.

XVIII.

Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnari vitare.

23. Hæc propositio, prout jacet, æque ferax est, ac præcedens: & licet aliquando, loquendo de sententia capitali, que

aliter vitari non posset, speculative forte esset probabilis; practice tamen juste damnatur, quia est perniciosa, scandalosa, & pluribus homicidiis viam sternit, cum passim obcæcati homines putent accusatores, testes, & Judicem injuste contra ipsos agere: dato tamen casu, datur locus appellationi, & recusationi, quæ sunt remedia juris.

XIX.

Non peccat maritus occidens propria autoritate uxorem in adulterio deprehensam.

24. Nullus propria autoritate potest alium occidere, nisi in defensione propriae vitæ: ergo nec maritus uxorem in adulterio deprehensam: et quamvis leges civiles impunitum illum relinquunt, non approbant factum. Imo corriguntur a lege canonica, juxta quam maritus in casu occisionis manet irregularis. vid. tract. 16. n. 42.

XX.

Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit poena.

25. Restitutio imposita beneficiatis non recitantibus, potius est inhabilitas ad fructus lucrandos, quam poena. Esto tamen sit poena, est pure privativa, ad quam potest legislator obligare in conscientia ante omnem sententiam, & talis est poena, seu inhabilitas voluntarie non recitantibus imposita. Aliqui ajunt hanc restitutionem originem ducere ex virtute religionis, sed verius est oriri ex justitia, ex cujus solum violatione oritur obligatio restituendi. Undecumque autem proveniat, justissime posita est negligentiis, transactis primis sex mensibus, officium divinum: quia beneficium est propter officium.

XXI.

Habens cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

26. Obligatio recitandi est onus personalis.

sona-

sonale, ergo sicut auditio sacri, aut jejunium nequeunt adimpleri per alium, ita obligatio recitandi. Est notabilis ad intentionem sententia Glossæ: nempe: *male dictum studium, propter quod relinquitur officium divinum.*

XXII.

Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator, conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi, conferre non tenebatur.

27. Conferens beneficia ecclesiastica debet illa gratis conferre, alias simoniam committit, & peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur. Oppositum est omnino falsum, & merito damnatum. Nam collator beneficii non dominus, sed merus administrator est, ergo injustitiam committit, si conferat illud pro pretio. Nec in re adeo clara amplius immorari oportet.

XXIII.

Frangens jejunium Ecclesie, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, aut inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subicere præcepto.

28. Falsitas hujus propositionis aperte constat, quia præcepta Ecclesie in gravi materia graviter obligant; sed hujusmodi est præceptum de jejunio observando, ergo frangens illud sine causa graviter peccat. Si autem fractioni addatur contemptus, vel inobedientia specialis, addit distinctum specie peccatum. Quidam congerunt hic plures opiniones, quas, asserunt, non damnari in hæc propositione; verum mihi labor inutilis videtur: cum sufficiat scire, violantem sine causa jejunium, ad quod tenetur, peccare graviter. An tamen quis in hac, vel illa circumstantia teneatur jejunare, aut frangat jejunium, alia quaestio est,

XXIV.

Mollities, sodomia, & bestialitas sunt

Tom. II.

peccata ejusdem speciei infime, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

29. Quamvis antecedens hujus propositionis esset verum, nempe tria dicta peccata esse ejusdem speciei; adhuc consequentia non esset certa, hoc est, sufficere fateri in confessione se procurasse pollutionem, tum quia ly procurasse non exprimit habuisse; tum quia in duobus posterioribus adest saltem circumstantia valde dissonans, & magnopere aggravans, & varians non parum iudicium Confessoris; ergo ex omni capite est propositio falsa, ac merito damnata. Certum est, quod mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata specie distincta, & quod explicari debent in confessione, & hoc declaratur ab Alexand. VII.

XXV.

Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

30. Patet falsitas hujus propositionis ex eo, quod copula esset complementum, seu consumatio peccati, ergo necessario debet exprimi in confessione, tamquam pars substantialis ejusdem peccati. Habens tactus impudicos cum soluta, etiam committit peccatum grave contra castitatem, sed habens copulam, multo gravius substantialiter peccatum committit, quod vere non explicatur, non explicando copulam. E contrario sequeretur, quod occidens hominem satisfaceret confessionis præcepto, dicens: percussi graviter hominem, vel commisi peccatum grave contra quintum Decalogi præceptum: quod est omnino falsum.

31. Quidam ajunt sufficere in casu copulae dicere: commisi grave peccatum cum soluta in materia naturali luxurie. Redicula sane explicatio! Semper debet homo veraciter, & sincere loqui; sed multo amplius in confessione, ubi honestis verbis etiam inhonesta patefieri debent, prout fuere facta, & sunt in conscientia.

Nnn

Quan-

XXVI.

Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

32. Jure naturali divino, & humano tenetur Judex administrare justitiam inter partes, ergo nequit accipere pecuniam, prout assertit propositio; id enim etiam nationes barbaræ semper horruere. Judex igitur contentus salario à Rege, vel republica sibi designato, nihil amplius debet à partibus exigere, nec accipere sub pœna restitutionis, ut suo loco dictum est. Quando partes habent opiniones æque probabiles, dividat eis æqualiter suam portionem, vel sortibus dirimat litem. Verum uni applicare totum in casu, & accipere ob id pecuniam, est duplex injusitia.

XXVII.

Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet ejus opinio censeri probabilis, dum non constet reprobam esse a Sede apostolica, tanquam improbabilem.

33. Falsitas hujus propositionis constat ex sua assertione generali, qua admittit, ut probabilem quancumque opinionem repertam in libro cujuslibet junioris, & moderni. Et cum passim tot opiniones debiles, imò & improbables reperiantur in lucem editæ a junioribus, & modernis, propositio dicta in generali est summe ruinosa, ac scandalosa, & merito damnata.

34. Potest igitur junior, aut modernus pius, doctus, & versatus in theologia præcipue morali opinionem probabilem producere, sic enim opiniones, quæ nunc, ut vere probabiles laudantur, initium sumpserunt a suo Authore respectivo, qui tunc junior erat, nec quod sit nova, opponitur ejus authoritati, si solida fulcitur ratione, quia etiam Evangelium fuit aliquando novum. Pondus igitur rationis potius, quam novitas, attendi debet. Unde valet esse probabilis opinio Junioris, non quidem quia junioris, nec

quia in ejus libro sit impressa, sed quia solidis fundamentis, & rationibus est munita. Hac sola conditione, relictis aliis, potest opinio esse probabilis. Solidæ quippe rationes reddunt opinionem probabilem ab intrinseco, sicut numerus Authorum ab extrinseco.

35. Nec refert, quod opinio in libro junioris impressa non solum approbatur ab ejus Authore, sed etiam a revisoribus libri: quia etiam hæc opiniones, & propositiones repertæ sunt in libris juniorum, ab aliis revisis: & tamen adeo improbabiles prodierunt, ut damnationis pœna juste puniri mereantur. Quod respectu revisorum evenire potuit, & in futurum potest, vel quia eas non legerunt, vel quia non adverterunt, vel quia eidem falsæ doctrinæ adhaeserunt, vel saltem quia eam (non bene) simularunt.

XXVIII.

Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

36. Hæc propositio æquivalet huic alteri: *Non peccant subditi, etiam si absque ulla causa non obediant Principi legitimo.* Cum autem hæc sit adeo falsa, & scandalosa, ut non solum omni juri divino, & humano, sed etiam sensui communi repugnet, idem est sentiendum de prima. Princeps legitimus est legitimus Superior, ergo peccat quisquis ejus leges, & mandata absque causa non recipit.

37. Possunt subditi humiliter supplicare de lege, representando Principi aliquas causas, si vere adsint; minime tamen possunt absque causa non recipere ejus legem. Hoc adeo verum puto, ut dogma fidei mihi videatur. Ex doctrina enim Apostoli habemus hanc veritatem: *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ad Rom. 13.

XXIX.

In die jejunii, qui sæpius modicum comedit, et si notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

Hæc

XXXI.

Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, æquitando, utcumque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter unius diei conficiant.

38. Hæc propositio destruit jejunium, si enim non frangitur per comestiones parvas, sæpius repetitas, esto pertingant ad magnam quantitatem, actum est de jejunio. Alias poterit quis modicis comestionibus sufficienter nutrirî, & reficere notabiliter stomachum; quod opponitur directe unicæ comestioni, & consequenter essentia jejunii. Igitur si quis per parva furta ad notabilem quantitatem pertingit, violat graviter justitiam, ita qui per modicas comestiones pertingit ad notabilem quantitatem alimenti, frangit jejunium, & oppositum merito est damnatum.

39. Inq. An materia collationis serotinæ v. g. quinque, aut sex uncia cibi plus minusve possint sumi diversis horis tribus, quatuor, aut quinque vicibus? R. neg. Tum quia dictus modus sumendi est contra consuetudinem in forma jejunii introductam: tum quia alias posset prandium similiter sumi tribus, aut quatuor vicibus, quod nequit dici. Aliud est materia parva matutina, quæ ex causa poterit bipartiri, ut si primo mane sumatur v. g. dimidia uncia, & postea ratione concionis, aut debilitatis altera dimidia.

XXX.

Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

40. Hæc propositio duplicem continet partem utramque falsam. Nam in primis falsum est, omnes officiales corporaliter laborantes in republica esse excusatos a jejunio; non enim omnia officia corporalia sunt adeo laboriosa, ut deobligent a jejunio, ut officia pictoris, barbitonsoris, sartoris, & similibus, quæ non multum defatigant: quapropter merito damnatur hæc prima pars propositionis generaliter excusans a jejunio omnes dictos officiales.

41. Haud melior est secunda pars, qui enim dubitat, an excusetur a præcepto, debet inquirere veritatem, alias peccat, operando contra illud, ergo officiales republicæ dubii de obligatione jejunii tenentur jejunare, vel deponere dubium, consulendo; & oppositum juste damnatur.

42. Hæc propositio tria continet falsa, 1. Quod excusantur a jejunio omnes illi qui æquitando iter agunt, utcumque illud agant, sive equo, aut curru, sive ferulo, aut lectica. 2. Quod id est verum, etiamsi iter necessarium non sit. 3. Etiam si iter sit unius diei. Omnia merito damnantur; alias posset quis pro libito deambulare, æquitando, in die jejunii, ut se excusaret a jejuando, quod esset irridere jejunia Ecclesiæ.

43. Igitur nullus excusatur a jejunio, nisi ex causa gravi legitima, ideo semper, ac iter differri possit, differendum est, vel jejuandum. Si vero iter sit necessarium, aut tale, ut notabilem defatigationem afferat, sive quia pedestris sit, sive ratione longitudinis, vel continuationis plurium dierum, sive ex debilitate subjecti poterit excusare quia præcepta Ecclesiæ cum gravi præjudicio non obligant.

XXXII.

Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lactificinia in quadragesima obliget.

44. Consuetudo abstinendi ab ovis, & lactificiniis in quadragesima, universaliter recepta a Christiano populo, antiquissima est, ortum duces saltem a tempore S. Greg. Mag. qui, ut patet cap. 6. dist. 4. ait, *Par est, ut quibus diebus a carnibus abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo, & ovis.* Igitur nullo fundamento contra consuetudinem adeo antiquam, & universalem invehit propositio, quæ ut scandalosa juste subit pœnam damnationis.

45. Pro aliis diebus jejunii extra quadragessimam servanda est consuetudo cujusque Regionis, seu Diocessis. Non desunt, qui asserant in Diocessibus Ebo-

Nun a

ren-

rensi, & Egdiensi in Lusitania invecam esse consuetudinem comedendi ova, & lactuina etiam in quadragesima, de quo vide Bened. XIV. in Synodi lib. II. cap. S. n. 14.

XXXIII.

Restitutio fructuum beneficii causa omissionis recitationis divini officii potest suppleri per quascumque elemosynas, quas antea beneficiarius erogaverit ex fructibus beneficii.

46. Nequit dari solutio debiti, quin debitum præcedat; ergo falsum est, quod per elemosynas antea factas possit fieri satis debito restituendi; postea ex omissione recitationis a beneficiario contracto. Deinde si hoc esset verum, daretur occasio facilius omittendi officium, sciendo, jam ejus omissionis poenæ esse satisfactum. Præterea elemosyna antea facta supponitur provenisse ex caritate, ergo non ex justitia, ut requirit restitutio. Igitur ex omni capite fallit propositio, unde merito est damnata.

47. Non tamen damnatur posse satisfieri per elemosynas, post omissionem factas, nisi beneficiarius nollet per eas satisfacere; elemosynæ enim factæ post contractum debitum dandi quidquam pauperibus, nihil deficit, ut deservire valeat pro talis debiti satisfactione, supposita eam largientis voluntate satisfaciendi prius adstrictumque debito justitiæ, cui sit adstrictus.

XXXIV.

In die Palmaram recitans officium paschale satisfaciit præcepto.

48. Officium divinum semper recitari debet juxta ordinem ab Ecclesia præscriptum, ita ut illum sine causa invertere nunquam sit licitum, sed multo minus dum adest tanta dissonantia, ut inter officium passionis, & resurrectionis. Non ergo satisfaciit præcepto recitans in die palmaram officium paschale, & oppositum juste damnatur.

XXXV.

Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsentis, & crastino.

49. Quando pro unoquoque die adest distinctum præceptum, nequit unico actu satisfieri duplici præcepto, & hujusmodi est obligatio officii divini, quod est onus omni diei affixum, & nunquam duplex dies incidit in uno, quapropter cuilibet dici debetur proprium pensum a cæteris distinctum, & oppositum est damnatum.

50. Verum est quandoque posse fieri satis duplici præcepto unico actu, tempore opportuno apposito, quando aliud non constat de mente præcipientis, unde valet quis unico sacro satisfacere præcepto Missæ in Dominica, & pro festo S. Petri in ipsa incidente, & eodem jejunio fit satis vigiliæ S. Mathæi, dum occurrit in quadragesima; at valde diversum est præceptum officii divini, cui ex opposita ratione nequit eodem actu satisfieri pro duplici die.

XXXI.

Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis, que sunt expresse revocata per concilium Tridentinum.

51. Nolle potest, qui velle, & qui concedere valet, etiam valet tollere: igitur Ecclesia, que regularibus concessit prius privilegia, potest subinde revocare ea, falsa ergo est propositio, & justissime damnata.

52. Inter alia privilegia regularibus olim concessa, valde notabile erat illud audiendi confessiones secularium cum sola approbatione suorum Superiorum, quis autem nisi inscius audebit asserere posse eosdem uti hoc privilegio expresse a Tridentino revocato, cum igitur eadem sit ratio de aliis, ac de isto, de omnibus idem est sentiendum.

XXXVII.

Indulgentiæ concessæ regularibus, re-

vocatæ a Paulo V. bobie sunt revalidatæ.

53. Hæc propositio non est adeo novicia quoad mores, sicut præcedentes, & subsequentes: quod enim quis existimet, se lucrari has, vel illas indulgentias est extra motum regulas, necessario observandas. Verum ad tollendam occasionem erroris in publicandis indulgentiis falsis damaatur merito propositio. Alii autem Pontifices post Alex. VII. qui eam damnavit, approbarunt, & confirmarunt plurimas indulgentias, a variis Pontificibus prædecessoribus Pauli V. regularibus concessas, & præcipue Clemens X. in Bulla, que incipit: *Commisita nobis*; in ea enim non solum confirmat plures indulgentias, a prædecessoribus Pauli V. sed etiam ab ipso Paulo denuo concessas, ac subinde idem Clemens alias etiam apostolica largitate benignæ concedit.

54. Ut autem his, que dicimus fides integra adhibeatur; & ut laudata Bulla, que nostri ordinis Summarium indulgentiarum continet, omnibus palam fiat, lubet eam hic transcribere, prout est in Bullario Romano tom. VII. pag. 217. & inter Bullas ejusdem Pontificis numeratur CXXXI.

Confirmatio, & approbatio indulgentiarum ordini Carmelitarum, & confraternitatibus S. scapularis hætenus concessarum.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commisita nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut spiritualium gratiarum concessiones, que ex pia prudentia hujus S. sedis liberalitate ad piorum operum incrementum, & animarum salutem processerunt, quo firmiter subsistant apostolicæ muniminis præsidio constabiliam, illasque etiam apostolicæ benignitatis caritate amplem, & alia desuper statuamus, sicuti spiritualium Christi fidelium ædificationi cognoscimus in Domino profuturum.

Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Matheus Orlandi Prior generalis ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis

de Monte Carmelo, qui cum a diversis romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ac etiam a nobis nonnullæ indulgentiæ, ac peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes tam Christifidelibus, Ecclesiis dicti ordinis visitantibus, & alia præscripta pia opera peragentibus, quam confratribus, & consorioribus confraternitatum s. scapularis ejusdem B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quas ubivis locorum extra hanc almam Urbem erigendi, & instituendi, illisque certas indulgentias, & gratias spirituales, servata forma constitutionis fel. rec. Clem. PP. VIII. prædecessoris nostri super confraternitatum aggregationibus, & institutionibus editæ, communicandi facultas Procuratori generali dicti ordinis, vel illo absente ejus Vicario general. a rec. nem. Paulo PP. V. prædecessore pariter nostro attributa fuit, concessæ fuerint, ut omnibus, que circa illas oriri posset dubietas, recideretur; ex litteris apostolicis desuper emanatis fideliter excerptum fuit illarum Summarium a dilecto filio nostro Joanne Titul. S. Bernardi in Thermis S. R. E. Card. Bona nuncupato revisum, tectoris, qui sequitur.

Summarium indulgentiarum a diversis Summis Pontificibus concessarum Christifidelibus, visitantibus Ecclesias ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo.

Fel. rec. Sixtus IV. in Bulla = *Dum attempta* data kalen. Aprilis 1477. ad instantiam fratris Christophori Martisoni Prioris generalis ordinis fratrum B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo omnes indulgentias, & peccatorum remissiones a diversis romanis Pontificibus concessas, visitantibus Ecclesiis dicti ordinis, & in dicta Bulla recensitas confirmavit, approbavit, & innovavit; verum quia plures illarum elargitæ, & a dicto Xisto IV. confirmatæ erant sub onere porrigendi manus adjutrices fratribus, monialibus, Ecclesiis, vel domibus præfati ordinis, & beatus Pius V. per suam constitutionem = *Es si Dominici gregis* = Datam 6. Iouis Februarii 1567. revocaverat omnes indulgentias, pro quibus consequendis manus adjutrices porrigendi erant, fel. reg. Gre.

Gregor. XIII. in litteris apostolicis = *Ut laudes* = datis 18. *Septembris* 1577. dd. indulgentias in pristinum, & eum, in quo erant ante d. revocationem, statum restituit, & revalidavit, dempta clausula porrigendi manus adiutrices, & elargiendi elemosynas; ita tamen, quod hi Christi fideles, qui illas consequi voluerint, Ecclesias visitando, sint contriti, & confessi, ac loco elemosynæ prædictæ septies orationem dominicam, itidemque salutationem angelicam recitent, vel habitum d. ordinis gestent, vel Vesperas pro defunctis recitent, aut ante Sanctissimum D. N. J. Christi Corpus terram osculentur, ac pro hæresum extirpatione, sanctæ que matris Ecclesie tranquillitate, Christianorumque Principum pacis, & unione pias ad Deum præces effundant, & alias juxta prædecessorum suorum litterarum seriem orent, aliaque peragant.

Summarium autem indulgentiarum concessarum est hujusmodi in dd. litteris.

Primo Leo PP. IV. omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias B. M. de Monte Carmelo hujusmodi in festis Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis, Nativitatis, Annuciationis, Purificationis Dei Genetricis Mariæ, S. Michaelis Arcangeli, Omnium Sanctorum, in duobus festis S. Crucis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Martirum Fabiani, & Sebastiani, & in die Parasceves, & per Octavas præfatarum festivitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti ordinis devote visitaverint, septem annos, & totidem quadragenas.

Secundo, & Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Joannes XI. Sergius IV. & Innocentius IV. omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus, contritis, & confessis, qui præfatas Ecclesias pie visitaverint in præfatis festivitibus, & earum octavis, tertiam partem peccatorum omnium in Domino relaxant.

Tertio, item Clemens III. Alexander II. Gregorius V. & VII. in præfatis festis, & in quolibet eorundem similem gratiam largiti sunt.

Quarto, item Clemens IV. iisdem Christi fidelibus, qui præfatas Ecclesias quater

in anno visitaverint, videlicet in quatuor festivitibus ejusdem Dei Genetricis Mariæ triginta annos, & totidem quadragenas pie concessit.

Quinto, item in privilegio generali Lucii III. remittuntur ab eodem peccata levia, offensæ parentum, negligentia votorum factorum, dum tamen fractor ad vota rediret, & male acquisita, si nescitur, cui restitui debeant, præfatis locis, seu illorum domibus assignentur.

Sexto, demum Innocentius IV. & Gregorius VIII. concesserunt quilibet die cuilibet dicenti *Pater noster*, & *Ave Maria* in dd. Ecclesiis semel pro vivis, & defunctis, quadraginta dies indulgentiarum.

Septimo, rursum Honorius III. & Nicolaus IV. vere poenitentibus omnium suorum peccatorum veniam polliciti sunt.

Octavo, insuper Honorius IV. omnibus vere poenitentibus, & confessis dicti ordinis Ecclesias visitantibus, quadraginta annos, & totidem quadragenas de injunctis eis poenitentis; videlicet in festo vocabulorum ipsarum Ecclesiarum, & in die S. Parasceves, nec non die S. Crucis, & in festivitibus Nativitatis, & Annuciationis, Purificationis, & Assumptionis Dei Genetricis Mariæ misericorditer in Domino relaxavit, & concessit.

Nono ulterius Benedict. XI. omnibus vere poenitentibus, & confessis, qui ter in hebdomada, videlicet, quadragesimali tempore, secunda, quarta, & 6. feriis, atque etiam in festis vocabulorum Ecclesiarum dicti ordinis, nec non in diebus Sabbatinis ob B. Dei Genetricis reverentiam, & in diebus Dominicis eadem Ecclesias pie visitaverint, quadraginta annos, & totidem quadragenas, & omnium peccatorum septimæ partis remissionem in Domino relaxavit, omnesque indulgentias, & peccatorum remissiones a suis prædecessoribus romanis Pontificibus dicti ordini concessas in diebus, & festis prædictis duplicando.

Decimo, item Joannes XXII. omnes indulgentias, & peccatorum remissiones a romanis Pontificibus prædecessoribus suis dicti ordini concessas confirmavit, ac quadraginta annos, & totidem quadragenas de injunctis poenitentis universis Christi fidelibus dicti ordinis Ecclesias

in qualibet solemnitate quatuor festivitatum B. Dei Genetricis Mariæ, videlicet Nativitatis, Annuciationis, Purificationis, & Assumptionis visitantibus contritis, & confessis in Domino pie concessit. Idemque Joannes XXII. pro animabus, quæ in Purgatorio existunt, & habitum hujus religionis gestarunt, vel eorum confraternitatem ingressi fuerint, vel confratrum numero adscripti in honorem ejusdem B. M. Matris Dei die Sabbati post earum transitum intercessionibus ejusdem continuis ipsius suffragiis, & meritis, ac speciali protectione adjuvandis, privilegium publicavit, corroboravit, & confirmavit.

Decimo primo, item Urbanus VI. perpetuo concessit his, qui ordinem Carmelitanum, & fratres ejusdem ordinis, ordinem, seu fratres gloriosissimæ Dei Genetricis, semper que Virginis Mariæ de Monte Carmelo vocaverint, & Annuciationis, Purificationis, & Assumptionis, si in gratia extiterint, tres annos, & totidem quadragenas indulgentiarum.

Decimo secundo, Nicolaus V. omnes indulgentias, & peccatorum remissiones, ac omnia privilegia, dicto ordini concessa a supradictis romanis Pontificibus prædecessoribus suis in præfatis diebus, & festis motu proprio ampliando, confirmavit, atque annos septem, & totidem quadragenas in Domino relaxavit.

Decimo tertio, Xistus IV. omnes indulgentias ordini prædicto, illius domibus, Ecclesiis, & personis utriusque sexus in genere, vel in specie, quomodolibet concessas, in suo robore, in suaque firmitate confirmavit, approbavit, ac de novo concessit, & in Conceptionis, Nativitatis, Presentationis, Annuciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis B. Dei genetricis Mariæ festivitibus, & per septem dies sequentes, & in dies vocabulorum Ecclesiarum visitantibus Ecclesiis triginta annos, & totidem quadragenas de injunctis poenitentis misericorditer in Domino relaxavit.

Decimo quarto, denique Clemens VII. post Joannem XXII. & Alexandrum VI. eorum litteras approbando, habitum Gloriosissimæ, & Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei gestantibus, seu confraternitatem ingredientibus, & alia servan-

tibus, ut in eisdem litteris continetur, indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias singulis utriusque sexus concessæ perpetuæ firmitatis robur addidit, & innovavit, ipsisque, & aliis participationem omnium bonorum spiritualium totius ordinis Carmelitarum, & universalis Ecclesie concessit.

Alia indulgentia concessæ visitantibus Ecclesias fratrum, & montium discalceatorum, extensæ ad visitandas quaslibet Ecclesias ordinis a Sanctissimo Domino Nostro Clemente X. per Breve dat. 30. Octobris 1650.

Xistus V. per Litteras datas 11. Julii 1587. concessit Christi fidelibus, qui in illorum Ecclesiis feris quintis Missæ, centum, qui vero prædicationi, aut lectioni verbi Dei interfuerint, alios centum, necnon, qui ad orandum accesserint interim, quinquaginta dies: qui denique confessi eo die, ubi communicaverint, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis, seu alias debitis poenitentis, misericorditer in Domino relaxavit.

Gregorius XV. per litteras datas 19. Septembris 1622. indulgentiam plenariam his, qui confessi, & sancta communionem refecti, visitaverint illorum Ecclesias in Festo S. Teresæ, & oraverint pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. matris Ecclesie exaltatione.

Urbanus VIII. per litteras datas 10. maji 1624. similem indulgentiam plenariam illis, qui orationi quadraginta horarum de licentia Ordinariorum in Ecclesiis dd. Patrum, tantum semel in anno instituendæ, per aliquod spatium devote interfuerint, & ut præfertur, oraverint.

Denique Sanctissimus D. N. Clemens X. per litteras datas 11. Aug. 1670. & 16. Maji 1672. Plenariam indulgentiam in festis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo; SS. Andree Corsini Episcopi, Angeli Martyris, Alberti Confessoris, & S. Mariæ Magdalene de Papis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti ordinis visitaverint, & oraverint; ut supra.

Alia indulgentia concessæ omnibus Christi fidelibus a præfato Xisto V. in supradictis litteris.

Illis, qui hoc modo salutarerint alios, nem-

nempe suo vulgare, vel latino sermone: *Laudetur Jesus-Christus*, & his, qui sic responderint: *In secula*, vel *Amen*, vel *semper*; utriusque tam salutantibus, quam respondentibus 50. dies, ubicumque id factum fuerit.

Qui nomen *Jesus* ore nominaverit reverenter, vel nomen *Mariæ* 50. dies, qui vero in articulo mortis ore, vel corde, si ore non potuerint, dummodo ante haberint consuetudinem sic salutandi, vel nominandi idem nomen *Jesus*, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam.

Qui litanias ejusdem Sanctissimi nominis approbatas recitaverint, tercentos, qui Litanias ejusdem B. Virginis Mariæ, ducentos. Nec non Prædicatoribus verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen *Jesus*, & Mariæ auditores monuerint, & quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem indulgentias concessit.

§. 3. *Summarium indulgentiarum a fel. mem. Pauli V. per litteras in forma Brevis datas 30. Octobris 1605. 31. Augusti 1609. & 19. Julii 1614. concessarum confraternitati sacri scapularis, seu B. Virginis Mariæ de monte Carmelo.*

Primo, concessit omnibus utriusque sexus Christi fidelibus confraternitatem sacri scapularis ubivis locorum, tam hæcenus canonice institutam, quam deinceps instituendam, de cetero ingredientur, & habitum acceperint, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes, & confessi, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, indulgentiam plenariam.

Secundo, descriptis, & describendis in dicta confraternitate vere poenitentibus, & confessis, qui in festo principali commemorationis ejusdem B. Virginis Mariæ die 16. mensis Julii, aut juxta ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediate sequenti celebrari solito sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, ac ad Deum preces effuderint, Plenariam.

Tertio, qui in articulo mortis poenitentes, & confessi, ac sanctissima com-

munionem reflecti nomen *Jesus* ore, si potuerint, sin autem corde, devote invocaverint, plenariam.

Quarto, qui poenitentes, & confessi ac sacra communione reflecti processioni in una Dominica cujuslibet mensis per dicta confraternitatem de Ordinarii loci licentia faciendæ, devote interfuerint, & ibi, ut præfertur, oraverint, plenariam.

Quinto, qui ab essu carniū his diebus, quibus confratres dictæ confraternitatis ex illius instituto, vesci non solent, abstinebunt, tercentos dies.

Sexto, qui qualibet die septies orationem dominicam, & toties salutationem angelicam ad honorem septem gaudiorum ejusdem Virginis Mariæ recitaverint, 40. dies.

Septimo, qui cum habitu ejusdem confraternitatis poenitentes, & confessi semel sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, & ut præfertur, oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas.

Octavo, qui poenitentes, & confessi in qualibet ex festivitibus ejusdem B. Virginis Mariæ sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in Ecclesia, vel Cappella dictæ confraternitatis devote sumpserint, & ut supradictum est, oraverint, tres annos, & totidem quadragenas.

Nono, qui cum lumine sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, & pro hisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos, & totidem quadragenas.

Decimo, qui corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, & pro eorum animabus ad Deum oraverint, centum dies.

Undecimo, qui Officium B. Mariæ Virginis devote recitaverint, centum dies.

Duodecimo, qui Missis, & aliis divinis officiis in Ecclesia, seu Cappella, aut Oratorio confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis, sive congregationibus publicis, vel privatis ejusdem confraternitatis ubique faciendis, interfuerint, aut pauperes hospites susceperint, aut eis in eorum necessitatibus, vel in periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales, vel

spi-

spirituales eidem dederint, vel pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, aut componi fecerint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint & ignorantem Dei præcepta, & ea, quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quandocumque aliud pietatis, aut charitatis opus exercuerint toties pro quolibet prædictorum piorum operum, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiæ consueti, concessit, & relaxavit.

Decimotertio, insuper concessit Priori generali ordinis, vel illo absente, ejus Vicario generali, ut hujusmodi confraternitatem beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo ubivis locorum extra Urbem erigere, & instituere, illisque supradictas indulgentias, & gratias in spiritualibus, servata forma præscripta in constitutione fel. rec. Clement. VIII. supra confraternitatum aggregationibus, & institutionibus editæ, communicare possit.

Decimoquarto, denique sanctissimus D. N. Clemens X. per litteras suas in forma Brevis datas die 2. Januarii 1672. indulgit, ut omnes supradictæ indulgentiæ peccatorum remisiones, ac poenitentiarum relaxationes per fel. mem. Paulum V. concessæ, animabus Christi fidelium per modum suffragii applicari possint. *Hoc summarium fideliter excerptum est ex Bula, & Brevis citatis.* Joannes Cardinalis Bona.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat præfatus Mathæus Prior generalis summarium hujusmodi apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communitari nonnullaque dubia præmissorum occasione emergentia dissolvi plurimum desideret, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut opportune in præmissis providere; & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 5. Nos igitur ipsius Mathæi Prioris generalis votis, hæc in re, quantum in Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, in quibus quomodolibet innodatus existat, ad ef-

Tom. II.

fectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, summarium præinsertum, omniaque, & singula in eo contenta autoritate apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. 6. Præterea, ut confratres, & consores dictæ Confraternitatis sacri scapularis, tam hæcenus erectarum, quam in futurum erigendarum, qui processionem in una Dominica cujuslibet mensis ab illis fieri solitam commode interesse non potuerint, si vere poenitentes, & confessi, ac sacra communione reflecti, Cappellas suarum respective confraternitatum devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, eandem plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem, quam Paulus V. prædecessor illis, qui processioni hujusmodi intersunt, concessit, pariformiter consequantur; & similiter infirmi, captivi, & peregrinantes, qui Cappellas hujusmodi dictæ Dominica visitare nequiverint, si officium parvum B. M. Virginis, aut quinquages orationem dominicam, & salutationem angelicam recitaverint, & saltem contriti fuerint, cum proposito confitendi, & sac. communionem recipiendi, quamprimum poterint, quod adimplere omnino teneantur. Fratres quoque, & moniales ordinis præfati commorantes in conventibus, in quibus non est erecta confraternitas sacri scapularis, vel non fit processio hujusmodi, si litanias omnium sanctorum in choro, vel privatim, si legitime impediti non potuerint interesse choro, devote recitaverint, ceteraque in litteris præfati Pauli prædecessoris præscripta adimpleverint, præfatum plenariam indulgentiam, & peccatorum remissionem etiam consequantur, autoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus.

§. 7. Porro festum principale confraternitatis sacri scapularis hujusmodi, juxta indultum ab eodem Paulo prædecessore concessum, die 16. mensis Julii, vel Dominica immediate sequenti quotannis

Ooo

cc-

celebrari solitum, ob majorem devotionem, vel commoditatem Christi fidelium, aut quando eadem die occurat alia solemnitas, in aliam Dominicam ejusdem mensis transferri permittimus.

§. 8. Soli autem Superiores generales dicti ordinis possint extra Urbem præfatarum in singulis Ecclesiis ejusdem ordinis, & in quibuscumque aliis accedente consensu Ordinariorum, confraternitates præfatas, servataque ceterarum præfatarum Pauli prædecessoris litterarum forma, & dispositione, instituire, & nullus alius sub pena nullitatis. Insuper ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris pia caritate intenti, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione re-
fectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti ordinis in conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis ejusdem B. Virginis Mariæ Immaculatae Festis diebus devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 9. Illis autem, qui ad Antiphonam *Salve Regina* quæ quotidie post completorium in ejusdem Ecclesiis solemniter decantatur, convenient, & ut præfertur, orabunt, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relinamus. Postremo illis, qui aliquam ex Ecclesiis ejusdem ordinis in diebus stationum Ecclesiarum Urbis præfatarum, prout in Missali romano exprimuntur, devote pariter visitaverint, & ibidem prout præmittitur, oraverint, ut eas omnes indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si ejusdem Urbis Ecclesiis in diebus stationum hujusmodi personaliter, & devote visitaverint, dicta autoritate harum serie concedimus similiter, & indulgemus.

§. 10. Decernentes easdem præsentibus litteras semper firmas, validas, & efficaci-
ces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum palatii apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super a quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari.

§. 11. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ apostolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Volumus autem, ut earum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 28. Maii 1673. Pontificatus nostri anno tertio.

J. G. Slusius.

Registrata in Secretaria in lib. *Mensis Maji part. 2. fol. 193.*

Ultra prædictas adsunt alia indulgentiæ plenariae visitantibus, ut supra, aliquam ex nostris Ecclesiis, nempe die, & per octavas S. Josef, eiusque Patrocinii, SS. Parent. Eliæ, Theresiæ, & Joan. a Cruce. Deinde ego ipse, qui hec scribo, obtinui eas a Pio VI. pro diebus SS. Cirili Constantinop. Simonis Sthoc, Elisæi, Bartolom. Transverb. Cordis S. Theres. & omnium S.S. Ordin. Carn. Nota revocationem Pauli V. non comprehendere amplissimam indulgentiam stationis Santissimi Sacramenti a Leone X. Religiosis Franciscis (et per communicationem omnibus mendicantibus) concessam, taliter quod regulares recitantes 6. Paternoster, Ave maria, et gloria Patri in eorum Ecclesiis lucrari possunt quoti-
die

tidie indulgentias concessas pro omnibus Christi fidelibus visitantibus Ecclesias Romæ, Jerosolimæ, compositellæ, & Portiunculæ. Ita P. Lucius Ferrar. cum aliis multis in novissima editione. Verb. indulg. art. V.

XXXVIII.

Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, ut confiteatur quamprimum, est consilium, non præceptum.

55. Sacerdos existens in lethali, carens copia Confessarii, & adstrictus celebrare, potest id efficere, eliciendo actum contritionis, quia præceptum positivum de præmittenda confessione, cedit naturali de vitando scandalo, aut alio gravi damno. Verum in tali casu mandat Concilium, quod confiteatur quamprimum, & hoc mandatum esse tantum consilium, non præceptum, sine fundamento assererat propositio, ideo juste damnatur.

56. Idem debet facere Sacerdos, qui in prævia confessione invincibiliter, vel justa causa omisit aliquod grave, cuius recordatur ante Missam, sed illam dicit absque copia Confessarii, urgente necessitate; alias violator existit præcepti Tridentini, quia celebravit ex vi necessitatis sine prævia confessione illius culpæ. Pariter Sacerdos in die veneris sancti celebrans officia, & qui complet sacrificium, seu species consecratas ab alio impotente ultra progredi, eidem præcepto devincitur.

XXXIX.

Ille particula quam primum intelligitur, quando Sacerdos confitebitur suo tempore.

57. Hac propositio parilis est præcedenti, licet enim videatur ab ea recedere, supponens præceptum Concilii, frustrat tamen ejus vim; nihil quippe præcipitur, si Sacerdos non obligatur confiteri nisi suo tempore, quapropter merito damnatur. Quidam ajunt illam particulam quamprimum admittere spatium

duorum, aut trium dierum, quod solum ex justa causa fieri posse, concedimus. Ex se enim Sacerdos in casu debet confiteri, quamprimum moraliter, & commode valeat.

58. Benedict. XIV. hortatur Episcopos, ut circa controversias super has duas propositiones, nihil in synodo sine prævio apostolicæ sedis oraculo decernendum suscipiant. Sed eas in conferentiis moralibus, a clericis haberi solitas, discutendas relinquunt: hoc tamen studiose curando, ut in prædictis collationibus moralibus eorum Theologorum sententia vinceret, quæ media via inter rigorem, & laxitatem incedere norunt. In Synod. lib. 12. cap. 6. num. 12.

XL.

Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterius, & pollutionis.

59. Delectatio potest esse triplex: nempe venerea, sensualis, vel carnalis, & sensitiva, seu naturalis. Venerea est, quæ provenit ex tactu impudico, vel quæ habetur ex quocumque objecto obsceno cum commotione spirituum generationis deservientium, Sensualis, aut carnalis dicitur, quæ oritur ex tactu aliarum partium corporis ex motivo inhonesto initiante oitam commotionem. Sensitiva, seu naturalis est, quæ habetur ex motivo alias honesto, seu indifferente, proveniens ex bona proportione potentie cum suo objecto, ut cum tangitur, vel auditur quidquam suave.

60. Prima semper est graviter mala in solutis. Tertia, si habeatur ex fine honesto, bona est, secunda vero reprobat, ut graviter mala in hac propositione; osculum enim sive datum, sive admissum ob delectationem carnalem intransitive est initium pollutionis. Idem est de aliis tactibus carnalibus, licet alias appareant leves, ut premere manum feminae, calcare ejusdem pedem, & similes. Et licet cum persona ejusdem sexus non sint adeo periculosi, idem tamen dicendum est, si fiant ex motivo carnali. Episcopi putare omnes delectationes esse

bonas; Stoici; & Platonici omnes esse malas; Peripatetici autem asserunt, aliquas esse bonas, alias malas, prout rationi consonant, vel ab ea dissonant, & ita est sentiendum.

XLI.

Non est obligandus concubinarium ad eiciendam concubinam, si hec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarium, vulgo regalo, dum, deficiente illa, nimis egre ageret vitam, & alia ex parte tanto magno concubinarium afficerent, & alia familia nimis difficile inventiatur.

61. Hæc propositio est benignum, & suave fundamentum concubinatus, ideoque merito damnatur. Nec enim omnia, quæ proponit in ejus favorem, sufficiens sunt titulus ad conservandam domi concubinam, nec faciunt occasionem proximam involuntarium peccandi. Obligandus est igitur concubinarium ad eiciendam concubinam, licet exponat præfatos titulos magni tædii in epulis ab ea non conditis, & alias inveniendi difficultates: hæc enim, & similia propria passio, non vera necessitas depingere solet; unde in praxi credi minime debent.

62. Imo licet concubinarium esset in articulo mortis, prius deberet eam eicere, quam posset absolvi, secluso casu, quo vera infamia, aut scandalum timeretur, quod non arbitrio concubinarium, sed prudenti judicio Confessarii metiendum est. Semper debet Confessarius vinum, & oleum applicare poenitentibus, sed peccatoribus ex mera fragilitate plus olei, quam vini congruit; peccatoribus vero assuetis, & inveteratis, & præsertim concubinarium plus acri vino, quam suavi oleo opus est. Nam extremis morbis extrema remedia sunt applicanda.

XLII.

Licitum est mutuari aliquid ultra sortem accipere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

63. Hæc propositio licet forte speculative probabilis appareat, quia obligare se ad non repetendam sortem usque ad certum tempus est quid extrinsecum ma-

tno; merito tamen damnatur, eo quod in praxi est valde perniciosa, quia passim mutuantes uti possent dicto titulo, seu prætextu ad exigendum ultra sortem, & palliandas usuras.

64. In Castella conceduntur mutuario decem dies, in quibus nequit adtriangi ad reddendum mutuuum, nec valet repeti illud a mutuate. Ex leg. 2. tit. 1. part. 5.

XLIII.

Annum legatum pro anima relicum non durat plus, quam decem annos.

65. Hæc propositio merito damnatur, quia nullo fundamento asseritur. Nam legatum sine temporis limitatione impositum, sine temporis limitatione perdurat. Et licet anima fundatoris eo forte non indigeat, ejus cognatis, aut hæredibus proficere valet. Imo quamvis nulli eorum proficiat, legatario incumbit implere onus, cui ex justitia adstrictus est.

66. Ego nusquam volui admittere hujusmodi legata perpetua, licet aliqui mihi pro earum admissione in conventibus, quibus servivi, instanter rogaverint, quia capitalia decursu temporis pereunt, & onus legati semper durat. Unde non parva documenta patiuntur conventus vice emolumenti sperati. Ideo respondebam id cupientibus, quod relinquere capitale hæredibus sub onere solvendi quotannis conventui stipendia pro tot Missis a se præscriptis. Prudenter statutum est in constitutionibus Patrum Minorum, ne Missarum onera assumantur ultra quinquagesimum annum implenda, sed ita, ut dicto tempore elapso, fundatores earum adjuventur communibus Missarum suffragiis, quæ a religione indefinite pro benefactoribus celebrantur, in quo nulli fit injuria, quia hoc pacto, & non aliter admittuntur præfata onera, ut ait Bened. XIV. in Syn. lib. 13. cap. ult. n. 9.

XLIV.

Quoad forum conscientia, correctio reo, ejusque contumacia cessante, cessant censura.

Quam-

67. Quamvis reus respiscat, & sit in gratia, ligatus est censura, qui eam incurrit, donec absolvatur. Censura enim, absolute lata est vinculum, quod non tollitur, nisi media absolute, & oppositum est falsum, ideoque merito damnatur. Aliud est de censura, quæ fertur pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione, quibus cessantibus, cessant censura. Sed absolute impositæ non cessant, nec rei correctione, nec ejus, aut Authoris morte.

XLV.

Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

68. Aliud est liber prohibitus, aliud hæreticus, aliud liber hæresiarchæ, & aliud liber hæretici. Liber prohibitus est, qui in indice expurgatorii continetur, liber hæreticus dicitur, qui in toto, vel aliqua sui parte hæreses continet; liber hæresiarchæ est v. g. Lutheri, Cavini, aut alterius Authoris sectæ ab Ecclesia damnatæ. Liber tandem hæretici dicitur ille, quia a quocumque hæretico fuit compositus; adest autem hæc differentia, quod libri ab hæresiarcha compositi non possunt legi, licet non tractent de religione, sed de musica, medicina, aut alia quavis facultate, quod non tenet in libris hæreticorum, hi enim, si non continent aliquid de religione, nec de ea tractent, sed solum de artibus, vel facultatibus agant, impune legi possunt. Cætera vide in tract. 7. n. 157. & seqq. & insuper indicem expurgatorii formatum anno 1790. ex mandato Excellent. D.D. August. Rubin de Cevallos. Inquisitor. gener. regula 3. 4. 5. &c.

§. II.

Sexaginta quinque propositiones ad minus, ut scandalose, & perniciosa damnate ab Innocentio XI. die 2 Martii an. 1579.

I.

Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de

valore sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis.

69. Opinio probabilis potest esse vel de valore, vel de licito sacramenti. Propositio solum loquitur de opinione probabilis circa valorem, asserens posse sequi quamcumque opinionem probabilem de ejus valore, relicta tutiori, seclusa lege, conventione, aut periculo gravis damni, exceptis baptismo, ordine sacerdotali, & episcopali. Unde poterat Sacerdos in consecratione vini dicere tantum: Hic est calix sanguinis mei. Et in absolute sacramentarii ego te absolvo. Et in ordinatione Diaconi posset omitti porrectio, & acceptio libri Evangeliorum, quæ omnia probabiliter dicuntur sufficere pro valore sacramenti; sed nemo non videt esse maxima absurda; ideoque merito fulmen damnationis meretur dicta propositio, quæ sua generalitate plurima sacramenta nullitatem exponerat.

70. Hinc tamen non est inferendum sententias fere communes, autoritate intrinseca, & extrinseca optime fuscitas, comprehendi in hac damnatione; hæc enim sufficienter salvatur, solumque sortitur effectum damnatio generalitatem propositionis; & absurda, quæ ex ea palam secuntur, quin damnet alias cum diversis circumstantiis traditas. Quoniam damnatio debet intelligi in sensu naturali, & proprio, quem depromit propositio: addita autem ei aliqua moderatio, seu circumstantia, jam est propositio diversa, & consequenter non comprehensa in damnatione, ut perperam in oppositum contendant aliqui.

71. Ex quibus habetur posse dari opiniones oppositas valde probabiles circa peculiariter requisita ad sacramenta, quin neutra sit damnata; nefas enim est dicere, esse damnatum, quod a Bened. XIV. tamquam vere probabile, imo ut probabilius traditur. Aliud est asserere in communi esse licitum uti opinione probabilis de valore sacramenti, aliud valde diversum disceptare in particulari, an istud sacramentum, hoc, vel alio modo

con-

confectum, vel receptum, validum sit. Primum merito est damnatum; secundum vero erit, vel non damnatum juxta suum meritum.

II.

Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.

72. Etiam hæc propositio damnatur merito ob suam generalitatem, nam in criminalibus, quibus reo favendum est, potest, & debet judex illi favere, etiam juxta opinionem minus probabilem. Imo in civilibus, si cum tali opinione adjungatur possessio, debet judicare, & ferre sententiam in favorem possidentis cum opinione etiam minus probabili, vel saltem componere partes pro qualitate dubii. Universaliter vero loquendo tenetur Judex ferre sententiam in civilibus juxta opinionem probabiliorum, & oppositum damnatur in presenti.

73. Inq. An probabilitas extrinseca, vel potius intrinseca attendi debeat a Judice pro sententia ferenda? R. Semper prævalere debet probabilitas intrinseca, efficacioribus fundamentis, solidioribusque rationibus munita. Nisi forte ex stylo curiæ aliud fieri comperiat: stylus enim est quodam jus municipale, ad quod in tribunali forensi multum attenditur; nunquam tamen prævalere debet veritati, maxime cum præjudicio tertii.

III.

Generatio, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confitti aliquid agimus, semper prudenter agimus.

74. Hæc propositio est partus, sive abortus probabilissimi, sub cuius tyrannico dominio totum fere orbem litterarum duobus sæculis misere ingemuisse a veritate non est alienum. Ad prudenter igitur operandum, excepto casu necessitatis, non sufficit quelibet opinio, sed requiritur opinio gravis, & oppositum pugnat cum sensu communi; ideoque merissime damnatur. Imo requiritur opinio

probabilior, ut suo loco diximus. Solum operatur prudenter, qui cum opinione, saltem in sua conscientia, probabiliori operatur.

75. Opinio tenuis probabilitatis est illa, quæ debili, ac tenui fundamento nititur, ut quæ asserit essum uvarum etiam in magna quantitate non violare jejunium, ac etiam quæ probabiliter est probabilis, nam talis non fundat motivum prudens ad operandum, ad quod saltem requiritur opinio esse certo probabilem, quod non habet opinio probabiliter tantum probabilis.

IV.

Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili.

76. Aliud est peccare contra fidem, aliud esse infidelem. Catholicus, qui non elicit actus fidei tempore debito, vel nescit articulos fidei vincibiliter, peccat contra fidem, sed infidelis non est. Infidelis est, qui caret fide, potest autem esse infidelis negative, aut positive; infidelis positive est, qui renuit amplecti fidem, sibi sufficienter promulgatam, vel saltem non curat inquirere de ea, quando ad ejus notitiam pervenit; Infidelis negative est ille, qui caret fide, quia nihil de ea audivit, & hæc infidelitas non est peccatum, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 10. & constat ex propositione 63. Baji damnata a pio V.

77. Infidelis autem non credens, ductus opinione minus probabili de bonitate suæ religionis, peccat, nec excusabitur a peccato infidelitatis, quia in re tanti ponderis, & in materia justificationis, ac æternæ salutis imprudenter agit, viam securiorum non eligendo. Quod verum esset, licet in aliis materiis teneret illud male intellectum axioma: *qui probabiliter operatur, prudenter operatur.*

V.

Non audemus damnare de mortali eum qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret.

78. En, impiissima pietas! ideo merito,

to damnatur a pietate Ecclesiæ. Igitur plusquam semel tenemur elicere actum dilectionis Dei in vita, & oppositum juste proscribitur, tamquam a doctrina Christiana poenitus eliminandum. Vide n. 3.

VI.

Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennis per se obligare præceptum caritatis.

79. Hæc propositio juste damnatur, tum quia sine ullo fundamento profertur. Eodem enim fundamento poterat differre obligationem præcepti plusquam ad septennium. Ecclesia quippe nihil de ejus tempore hucusque decrevit, forte quia est de actu mere interno, vel quia nullum præsumit sui Creatoris, Conservatoris, & pietissimi Benefactoris adeo oblitum, ut eum saepe, aut saltem aliquoties in anno non diligat. Tum quia valde absurdum est, differre ad quinquennium actum dilectionis, cum jubeamur, & debeamus diligere Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ac ex totis viribus.* Et alias hoc præceptum sit adeo nedum utile, & profectum, sed etiam dulce, suave, & facile, ut pro ejus adimplentione non requiratur manus, pedes, vires, nec divitiæ. Sufficit velle.

VII.

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

80. Hæc propositio gemina est cum prima damnata ab Alexandr. VII. tollit enim præceptum per se diligendi Deum, & tantum illud agnoscit per accidens, ideoque pari merito damnatur. Adest igitur obligatio Deum amandi ex vi præcepti divini, & per se, & non solum per accidens. Miror sane, & ignoro quomodo potuerint concipi a mentibus catholicis similes assertiones: quamvis enim non daretur præceptum positivum de dilectione Dei, ipsa natura clamaret pro diligendo suo Authore, Conditoris, & Conservatore. Bonum absque ullo præcepto est amabile: ergo bonum infinitum est abs-

que præcepto infinite amabile. Item Deus amat nos ab eterno, & non cessat nos amare, & nos adeo parce in eo amando erimus, ut solum in quinquennio, vel semel in vita ejus dilectionis actum elicere sufficiat? Non audiantur talia paradoxa. Diligamus saepe sæpius Deum, quia est bonum infinitum, infinite amabile. Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Diligamus Deum, quia ipse fecit, & conservat nos, quia in eo sumus, vivimus, respiramus, & movemur, & propter alia innumera beneficia naturæ, gratiæ, & gloriæ, quibus nos, ac si nobis indigeret, continuo devincire non desinit. O abyssus bonitatis!

VIII.

Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

81. Aliud est comedere, & bibere cum voluptate, aliud comedere, & bibere ob solam voluptatem. Primum licitum est, secundum illicitum, & damnatum, quia invertitur finis comestionis. Actiones humanæ deliberatæ non debent fieri ob finem delectabilem, sed ob finem honestum, qualis est in usu cibi, & potus nutritio, sanitas, seu ejus conservatio. Pariter appetitus debet suis actibus naturalibus uti, non frui: aliunde comedere, & bibere usque ad satietatem contra rationem a temperantia regulatam est vitium gula, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 148. a. 1. ad 2.

IX.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni poenitus caret culpa, ac defectu veniali.

82. Hæc propositio similis est præcedenti in falsitate doctrinæ, ideo eodem merito, ac illa damnatur. Nulla actio humana deliberata ob solam voluptatem exercita, caret culpa veniali. Quod, loquendo de essu, & potu usque ad satietatem, & de copula conjugali tamquam de fide tenendum est; de alijs tamquam pro-

probabilis. Quamvis enim quidam sentiant videre pulchra, audire melodiam, olfacere suavia, & gustare dulcia possint fieri licite ob solam delectationem naturalem, quam secum afferunt; probabilis tamen est non carere culpa veniali propter inversionem finis destinati a natura, qualis est v. g. levamen cordis, solatium tristitiæ, exhilaratio animi, vel alius finis honestus, ad quem actiones humane sunt a natura ordinatæ. Agere enim ob solam voluptatem brutorum est, non hominum.

Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

Præceptum proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

83. Propositio decima includitur, & amplius explicatur in undecima, & utraque damnatur juste, ut falsissima: amor enim proximi sæpe nobis comendatur tum in veteri, tum præcipue in novo testamento. Unde non solum amore externo, sive per actus exteriores caritatis, & misericordiæ debemus diligere proximum, sed etiam actu interno, & formali amoris, sive amore formali voluntatis, & oppositum damnatur in hac duplici propositione.

XII.

Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

84. Bona temporalia sunt in triplici differentia; alia sunt necessaria sustentationi vitæ, alia conservationi status, & alia superflua, hoc est, nec vitæ, nec status necessaria. Nota tamen, quod aliud est decentiæ status, aliud pompa, fastus, & ostentatio vanitatis; pro decentiæ status plura superfluum, pro fastu, & vanitate nihil est satis. Exulet vanitas, & fulgebit caritas. Sed proh dolor! Exultat caritas, & fulget vanitas, quæ omnia

dissipat. Nihilominus merito damnatur asserere, quod vix invenies superfluum statui, quo falso supposito, destruitur obligatio dandi eleemosynam in necessitate gravi, & communi, nam in extrema debet fieri etiam de necessariis statui.

85. Plures sunt opiniones circa obligationem eleemosynæ faciendæ: Verum in præsentem solum damnatur, quod vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. Quod verum esset in suppositione antecedentis, hoc est, quod vix reperitur quidquam superfluum statui. Sed cum utrumque sit falsum, utrumque est merito damnatum.

XIII.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

XIV.

Licetum est absolute desiderio cupere mortem patris, non quidem ut mortem patris, sed ut bonum cupientis, quia nimium ei obventura est pinguis hæreditas.

86. Gravis inordinatio contra caritatem est plus aestimare emolumentum temporale, quam vitam proximi, quod respectu patris addit peccatum grave contra pietatem. Unde merito damnatur utraque propositio, in qua oppositum asseritur. Semper, ac emolumentum temporale habet dependentiam cum alicujus morte, nec de hac, nec de illo potest quis gaudere, nec illud quoquo modo desiderare.

87. Verum absque ullo respectu ad mortem alterius licitum est gaudium de bono temporali sibi, aut aliis evento. Ideo licite homines sibi invicem congratulantur de hæreditate, Episcopatu, beneficio, aut dignitate obtentis: hoc enim fit secluso omni respectu ad mortem eorum, qui ea prius possidebant. Licitum etiam est desiderare alteri simplici desiderio aliquod malum temporale ob ma-

jus

jus ejus bonum spirituale, ut fuisi diximus in Tract. de caritate.

XV.

Licitum est filio gaudere de parricidio patris, a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consequutas.

88. Hæc propositio valde similis est duplici præcedenti, ideo juste eidem pœnæ damnationis subjacet. Licitum quidem est gaudere moderate de divitiis, sed illicitum valde gaudere de parricidio, licet inculpate patrato, ob divitias inde consequutas. Gaudium de divitiis, sive de alio bono temporali, ut sit licitum, debet haberi absque ullo respectu, connectione, aut dependentia culpæ propriæ, & mali alieni, alias inficitur, & est graviter malum.

89. Nota, quod adest magna differentia inter objecta prohibita, quia mala, & inter mala, quia prohibita. Quoniam desiderium simplex istorum conditionatum non est ex se malum, ut si quis desideraret comedere carnes die veneris, si non esset prohibitum: at desiderium illorum etiam conditionatum semper est malum, ut si quis desideraret occidere alium, si non esset malum. Ratio discriminis provenit ex eo, quod in prohibitis, quia malis, malitia est intrinseca, & nequeunt deandari ab ea; in cæteris vero malitia, seu prohibitio ab extrinseco advenit, & possunt ab ea deandari.

XVI.

Fides non censetur cadere sub præcepto speciale, & secundum se.

XVII.

Satis est actum fidei semel in vita elicere.

90. Hæc duplex propositio consonat cum prima damnata ab Alexandr. VII. & cum quinta supra exposita. Unde supervacaneum est in refutanda ejus falsitate adeo aperta amplius immorari.

Tom. II.

XVIII.

Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum contulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

91. Præceptum divinum, non consilium tantum est fidem confiteri, quando quis a potestate publica interrogatur, ideo merito damnatur propositio oppositum asserens. Fugere autem, si prævidet aliquid se non habere vires ad sustinendam tormenta, licite valet, quia ipsa fuga est quedam præstatio fidei. Si a persona privata quis interrogetur, vel immet detrimentum religioni, aut scandalum proximi ex suo silentio, vel non. In primo casu tenetur palam respondere de fide, in secundo potest tacere, vel repellere interrogantem dicens ei: *Quid ad te?* in nullo autem casu licet negare fidem, ait enim Dominus Math. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo.*

XIX.

Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium.

92. Rationes impellentes intellectum ad fidei assensum, cum ex se obscuræ sint, reddunt quidem objectum fidei credibile, sed non eum convincunt ad credendum. Uade necessaria est pia affectio voluntatis, ut illum determinet, supplendo, quod rationibus deficit. Igitur falsum est, quod asserit propositio merito damnata, quia tollebat a voluntate piam affectionem ad fidem, totamque motionem ad illam rationibus intellectus tribuebat.

93. Inq. Quot dispositiones requirantur in adulto, ut actum fidei eliciat? R. Quinque 1. Prædicatio externa. 2. Illustratio interna. 3. Cogitatio de veritatibus a Deo revelatis. 4. Voluntas, & affectus eis assentiendi ex desiderio salutis. 5. Assensum eis præbere. Initium salutis a nobis esse semipelagiani ajbant; hic autem error damnatus fuit a Clement. XI. Juste quidem nam ex Apostolo 2. ad Cor. 3. constat

Ppp

Non